

F. R. 90.

V. 270.



X 2054976

Cupressum  
Virtuti & Honori  
Per-Illustris Domina,  
Domina

MARIAE ANNÆ,

Baronissæ de Rechenberg,  
Oriundæ ex Klitzschdorff & Primkenau/Per-an-  
tiquis Domibus.

Reverendis. Per-Illustris & Generosissimi Dni,

Dn. JOHANNIS FRIDERICI, Liberi

Baronis à Löben.

Serenissimi ac Potentissimi, Electoris BRANDEBURGICI,  
Consiliarii, Collegii Secretioris, ac à Legationib9 Eminentissimi,  
Camerarii Senior. Comitatus Rupinensis & Territorii Bellinensis Supre-  
mi Capitanei. Illustris JOHANNITICI Hierosolymitani Ordinis Equitis  
Commendatoris Residentis in Lago, Hereditarii Dni. in Schi-  
dlow/Schönfeld/Schmachtenhagen/Merga-  
dorff / &c. &c.

Conjugis desideratissimæ  
ponit

M. Cunradus T. Rango, Colbergas. Gymna-  
siarcha Berlinensis.

BEROLINI,  
Ex Officinâ Rungianâ, MDCLXV.





*Antiquæ Gentis*

# LÖBIANÆ,

Maximè Reverendi,

*Per Illustres, Generosissimi Dni.*

Dne, JOHANNES FRIDERICE,  
Dne, ADOLPHE MAXIMILIANE,

Marite olim, nunc Vidue inæstissime,  
Tuque Optima, Optimorum Parentum Proles,  
Literarum Patroni, Evergetæ maximi.

*Vosq;*

Illustres Animæ

*Per-Illustr. Filiarum*

Dn. Mariæ POLYXENÆ,

Generos. ROCHOVIÆ.

Dn. URSULÆ BRIGITTÆ.

Per-III. RECHENBERGIÆ.

Salvete.

**E**fferuntur hodie Illustris & Generosiss. Dn. Conjugis, ac  
Matris Vestræ Utrinque suavissimæ, desideratissimæ, ut humen-  
tur, Exuvia; Præter gratam sui memoriam, desideriumque, virtu-  
tum relinquentes nitidissimum speculum. Non solum dolori levando Ve-  
stro, sed & omnibus bonis, Illustrem & seram commendatur memoriam  
Generosissimæ animæ, paucula hæc scripsi. Non turget Stylus, non exquisi-  
ta labore verba (quibus parum commendatur, propriis minus laudata vir-  
tutibus) legitis. Vitam scripsi, supremis, pietorum in morem, (ubi interio-  
ra & perfectiora non possunt) ductam lineis. Ita vero debui. Tua, Per Il-  
lustris & Generosiss. Dne. Venerandissime Senex, in me infinita merita,  
quibus solvendis animus quidem, non os, non manus, nec arca sufficiunt:  
Tua, Illustris & Generosiss. Dn. ADOLPHE MAXIMILIANE Gratiola Comitæ,  
Vestra, O Generosiss. Filiarum animæ! pientissimam Dn. Matrem deside-  
rantia suspiria pientissima; Tua vero, Celicola! Illustris Dna, gravis in me  
gratia, quæ me toties obstrinxit, quoties liberalissime vocatum excepit, hoc  
quicquid est officioli, tacite mandavit. Exequor. Utinam serius id fieret!  
Accipite ergo, Superstites animæ, gratiosâ, quod officiosâ offero dexterâ.  
Vivite gaudiis infinitis in posterum beatiore! VIVITE, ac superatis mundi  
arumnis, in celum redite serius, ac cum Præmissâ, non amissâ CONJUGE, desi-  
deratissimâ MATRE, VIVITE ÆTERNUM!

Per Illustrium Generosit. Vestrarum

*humill. obseq.*

M. Rango.



Æ. S.  
Eximiæ Virtutis,  
maximi Honoris,  
Eximium ac nuditissimum, qui hæc legis Speculum habes

**VIATOR.**

Si  
Illustris profopiæ, gentisque nobilitate,  
qua non immerito decorantur  
Illustres Animæ,

Si

**Antiquitate Stemmatis,**

Fumolarum Imaginum copiâ, Si majorum rebus gestis gloriaris,  
Actum est, Victus es.  
Illustri Virtute,  
Generosa virtute

Incomparabilibus meritis

**Domus RECHENBERGIA**

Aliquot retro seculis, Titulum Sacri Romani Imperii  
**LIBER. BARONUM**

quem huc usque constanter tuetur,  
adepta est: Indies aucta virtute plura meretur.

**Principum, Ducumq; Illustrissimorum**  
Illustrissimo mista sanguini.

Non superbit tamen origine, non virtute majorum,  
non Parentis, Avi que Famæ gloriâ;

**Propria virtute splendorem possedit,**  
quæ H. S. E.

Non patitur Extraneum virtus augmentum,  
Solem imitatur, Astrorum regem, propriâ radiantem luce.  
Ignobiles animæ, cum Lunâ, aliunde splendorem trahunt.

Virtute propria

certature,

**Cave causâ cadas!**

A 2

PIETA-



PIETATEM colis?

**Ipsa te superabit PIETAS.**

CASTITATEM?

Eam Per-Illustri Dno. Marito sæpius,  
per annos aliquot, non raro absenti,  
probavit,

**CONSTANTIAM? PATIENTIAM?**

Vix annum agens, MATREM amisit,  
Vix Septimum ingressa, PATREM.  
à Matertera adoptata

**STÜBELSCHÜTZIA.**

Orbitatem patienter & tolerans,  
Etiam Lustrum cum dimidio EXILIUM,  
at, quantum malum!

Prementibus undique Legiones nostras belli motibus & turbis,

**ILLUSTRIS ANIMA**

Constantissime ac patientissime tulit.

**LIBERALITATEM** in Egenos?

Non sum istius, quod norunt omnes, buccinator.

Dicam.

Optimas Generosæ Dominæ virtutes,

Generosissimas virtutes,

fulgidissimas dotes,

æmulabuntur paucæ,

mirabuntur plures,

assequentur nullæ.

Rei familiaris Insignem sollicitudinem,

Illustrium Natorum, Natarumque curam

non segnem,

Rarumque numerum,

quotaquæque imitabitur etiam solers Genetrix?

**Felicissima puerpera,**

Edu-



Educandis vero recens natis, Infelicissima,  
**Tredecim Liberorum,**

ANNÆ MARGARETHÆ. JOHANN. VVOLFANGI  
MARIE POLYXENÆ,

Cujus Gemellum FRATREM, Illustres Parentes  
tum lugebant mortuum,

Cum nondum vidissent vivum.

Ipsa nunc ROCHOVIA, flet obitum  
desideratissimæ.

quam vidit ægrotantem, morientem non potuit,

Ita naturalis propensio jubebat,

Decumbenti serviens, Mortuam plagens.

MAGDALENÆ ELEONORÆ. JOHANN. FRIDERICI.

MARIE HEDEVVIGIS,

**ADOLPHI MAXIMILIANI,**

Generosissimarum è Paterno Sanguine, hæreditario Jure contractarum  
virtutum, conservatoris, ac heredis,

Illustr. JOHANNIT. ORDINIS Equitis, ac designati

Commendatoris Lagoviensis,

Pie lugentis adeo gratiosæ, pientissimæque Matris abitum.

JUDITHÆ CHRISTINÆ. CASPARIS ADAMI,

JULIANÆ ELISABETHÆ

**URSULÆ BRIGITTÆ**

Quæ ex foecundissima Ficu Indicâ, Rami ad instar,

novam sibi propaginem fecit circa Parentem;

Gentis Maternæ immista radicibus,

**RECHENBERGIA**

Plangit, plorat, à qua abscissa, radicem.

ANNÆ LUCRETIAE

**MATER.**

Unius Mariti, Germanarum, verè Germanarum

veterum more, una conjux,

Tot animarum, Parens,

**CECIDIT.**

& vere

**CECIDIT**

Ad Sacra tendens, vestigio fallente gradum,

quod primum subsequuta

Amicissimorum Animæ & Corporis Sociorum

initium erat dissolutionis.



Rarus in Senibus, sine comitibus, Lapsus.

hinc

succedebat Polydipsia,

Cum quâ simul celestia sitiebat.

Hanc Dysforexia primum, mox Anorexia sequabatur,

Ut divina appeteret vehementius.

mox etiam Tussi gravata,

ut everreret longum, spirandi organis  
molestum mucum.

Sed & saburram è mundanis contractam,

Pia MATRONA, ejiceret.

LETHARGO tandem suppressa,

Animâ nihilominus ad preces, ad suspiria  
Vigili.

XXVIII. Novembr. die demum, postquam

Per Illustri D. Marito ægrotanti, proprium dissimulans  
malum, sua ministrasset manu,

Lectò perpetuo affixa,

XV. Decembr. d. Anni morientis clò Ioc LXIV.

Inter suspiria, tum vere Generosi Dn. Mariti,

Insperto intervenientis Dn. Filii

E longinquo spectantis Filia Illustris,

Amicæque condolentis,

Elidente omnia auxilia

dejectâ nimium naturâ

Eludente omnia consilia

à

MARCHIÆ ÆSCULAPIO

collata,

obdormiit.

Ætatis ANNO LIX. mens. III. d. XVII.

A Salvatore, quem constanter suum JESUM  
suscepit, dilexit,

Ad æterna evocata celorum gaudia,

Quod animam gravabat, deposuit

Mortali relicto, æviternum acquisivit,

Corpus dormiens, Animam vivit

vigilat:

Tacet, quiescit, expectat,

Ingeminat, Tripudiat, possidet;

post

Morbum, pugnam, mortem,

sana, Triumphans, Vivit

æternum.

Habes



Habes quæ te volui.  
Quæ tu voluisti, forsan non habes.  
Accipe.

Quam laudavimus hæcenus,  
Per-Illustris & Generosissima est Dna.

Dn. MARIA ANNA  
Baroniss. de Löben,  
Ex Illustri RECHENBERGICA,  
Domo.

Tam Generosa proles  
non potuit, nisi Aquilam habere Parentem  
Per Illustræ & Generosiss. Dn.

Dn. CASPARUM L. Baron. de RECHENBERG.

Invictissimorum Imperatorum S. Rom Imperii  
MATTHIÆ &

FERDINANDI II. Gloriosiss. memor.

Consiliarium Eminentissimum, Camerarium ac Principatum

Schweydnitz & Jhaur supremum Capitaneum, Dnum in  
Blitschdorff & Primtschanw/ &c.

à quo, per

Illustræ & Generosissimam Dnam,

Dnam, MARIAM, RECHENBERGICAM,

Per-Illustris ac Generosiss. Dni.

Dn. MELCHIORIS Lib. Baron. à RE-  
CHENBERG.

Augustissimorum S. Roman. Imperii, Imperatorum

RUDOLPHI, MATTHIÆ

FERDINANDI II. Glorios. mem.

Consilarii Excellentiss. Dni. Hereditarii Baronatus

Schlawa & Wartenberg/ Comitatus Gladieß

Supremi Capitanei,

Filiam

Anno a. N. C. clō lōc V. 28. Augusti,

genita,

Anno vero clō lōc XIX. 16. Die Septembr.

Reverendiss. Per-Illustri, & Generosissimo Dn.

DNO. JOHANNI FRIDERICO.

Liber. Baroni à Löben

Dn. in Schönfeld/ Schidlow/ Merzdorff. Hereditario  
in Schenkendorff. &c.

Sere-



20 4219 A  
Sereniss. ac Potentiss. Electoris BRANDEBURGICI,  
Consiliario Intimiori, ac à Legationibus Eminentissimo,  
nunc emerito, Camerario,  
Comitatus Ruppinensis, ac Provinciæ Bellinensis. Supremo  
Capitaneo meritissimo, Illustris Melitensis Ordin. Equiti,  
ac Comendatori LAGOVIENSI Strenuissimo:

ut desponsata,  
Ita Anno sequente cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup>c XX. 6. Jun,  
Conjugio juncta stabili.

Nunc

Arctissimi, perpetuique nexus

Osculum,

Æternum gaudium, perpetuum solatium,  
Honoris incomparabilis complementum,  
Dolorum Levamen

adepta,

Cum CHRISTOSUO,  
VIVIT.

Dum viveret, vivens  
Mortua.

Amici!

Dum vivimus,  
Moriatur!

ut,

Dum morimur,  
Vivamus.

Tu verò

Illustris Anima, Generosa anima,  
Ultimum Salve.  
Æternum Vale.



M

1077



F. K. 90.

V. 270.

Zc  
4219

MA

NAE,

Bar  
Oriundæ

erg,  
au/Per-an-

Rever  
Dn. JOH

mi Dni,  
CI, Liberi

Serenissimi ac  
Confiliarii, Col  
Camerarii Senior  
mi Capitanei. Illu  
Commenda  
dlow/

RANDEBURGICI,  
og Eminentissimi,  
ii Bellinensis Supre-  
tani Ordinis Equitis  
ii Dni. in Schi-  
Merga

M. Cur

. Gymna-

XV.

